

ta, ab altera iis opposita, licet varie in Actis dispersa, simul comprehendit, idque, quod a iudicio factum, congruis locis inserit. Ratione styli est vel *historicus* vel *laconicus* s. si mauis, *abruptus*; ille instar historicae narrationis Actorum contenta proponit, hic Actorum tenorem distinctis neque verborum vinculo inter se connexis propositionibus sistit. Ratione obiecti est vel *generalis* s. ad integra acta directus; vel *specialis* s. qui tantummodo tenorem certae cuiusdam partis Actorum continet. Denique ratione finis est vel *iudicialis* vel *extraiudicialis* s. *priuatus*, prout vel Actis publicis inseritur, vel tantum in vsus referentis vel priuatos conficitur: iudicialis generalis dicitur *solemnis*, iudicialis specialis dicitur *minus solemnis*.

§. 19. Ab extractu Actorum differunt *excerpta* eorum, quae sine serie et ordine in chartam abruptim coniiciuntur, partim memoriae subleuandae gratia, partim, vt in promptu sint Actorum loca, excerptim notata. Placet quibusdam, quippe ad extractum obseruationem ordinis Actorum requirentibus, extractum quem diximus methodicum excerptis annumerare; quibuscum, in verbis, faciles, certamen minime inibimus, modo distinguant inter excerpta *ordinata* et *inordinata* s. *methodica* et *tumultuaria*. Porro ab extractu distinguenda *historia processus*, qua ea, quae in causa sunt acta, historica serie generatim et praetermissis deductionem argu-